


epicycli MN simul. Moueatur iam eccentrici apogeu in præcedentia, quantum epicyclus in consequentia, ambo æqualiter circa E reuolutionibus æqualibus & mensuris ad medias Solis coniunctiones uel oppositiones, & AEC linea medijs loci Solis inter illa semper media sit, Lunaq; rursus in præcedentia ex apogeo epicycli. His em sic constitutis congruere putant apparentia. Cũ enim epicyclus in semestri tempore à Sole quidẽ semicirculũ, ab apogeo autẽ eccentrici totam cõpleat reuolutionem, consequens est, ut in medio huius temporis, quod est circa Lunã diuiduam è diametro BD inuicẽ opponantur, & epicyclus in eccẽtro fiat perigeus, ut in G signo: ubi propinquior terræ factus maiores efficit inæqualitatis differentias. Æquales enim magnitudines inæqualibus expositæ interuallis, quæ oculo propinquior, maior apparet. Erant igitur minimæ, quando epicyclus in A fuerit, maximæ uero in G . Quoniam minimam habebit rationem MN diametens epicycli ad $A E$ lineam, maiorẽ uero ad $G E$ cæteris omnibus, quæ in alijs locis reperiuntur, cum ipsa $G E$ breuissima sit omnium, & $A E$ siue æqualis ei $D E$, eorum longissima quæ à centro terræ in eccentricum circulum possunt extendi.



De earum assumptionum defectu. Cap. II.



Talem sanè circulorum compositionem tanquam cõficientem lunaribus apparentijs assumpserunt priores. Verum si rem ipsam diligẽtius expendimus nõ aptam satis nec sufficiẽtem hanc inueniemus hypothesisim. Quod ratione & sensu possumus comprobare. Dum enim fatentur, motum centri epicycli æqualem esse centrũ terræ, fateri etiam oportet inæqualẽ esse in orbe proprio, quẽ describit, eccentrico. Quoniam si, uerbi gratia, AEB angulus sumatur partium XLV . hoc est dimidius recti, & æqualis ipsi AEB , ut totus BED rectus fiat, capiaturq; centrum epicycli in G ,